

Non est tamen haec opinio noua , sed verutissima ; quippe eius meminit S. Thomas (22) , eam ex instituto versans ; sibique nonno loco obiicit potissimum momentum illud , quo peregrina opinatio nititur , nempe insanas illas Iudeorum voces ad Pilatum clamantium , *sanguis eius super nos , et super filios nostros* ; nec non Augustini testimonium (23) , scilicet : *“ecce quae bona ad haeredes suos quodam sacrilegii testimonio transmittunt : macula sanguinis se perfundunt , et posteros perirent.”* Quibus haec Doctor Angelicus reponit : *“sanguis Christi Iudeorum filios obligat , quatenus paternae malitiae imitatores sunt , eamque approbant , et sequuntur.”* Ergo miserrimi Hebrei paterni scleris poenas lugent , patiunturque , non natuitatis , sed praeae educationis vitio , quia a maioribus suis admissum crimen ratum habent , adprobant , imitantur , Christum eiusque religionem odio habentes , et execrantes . Neque infusa haec a Christo , eiusque lege alienatio a parentibus in prolem generatione transfunditur , sed mox ac per aeratem , rationisque usum licet , pessima disciplina liberorum animis instillatur .

## CAPVT XX.

*Qui fuerint Catholicorum ac Nouatorum contra sentientes narratur. Rationes eorundem soluuntur.*

**P**eccatum originale malam quandam ac peruersam fuisse substantiam , Mathias Flaccus Illiricus rigidiorum Lutheranorum caput , et Magdeburgensium Centuriatorum antesignanus adseruit ; sed praepostere , et prorsus inscite , vt vidimus . Reliqui Nouatores communiter originis peccatum in ipsa constituunt concupiscentia , ita sane ut in renatibus , in quibus fomes concupiscentiae remanet , nequeat reatus originalis deleri , sed tantummodo tegatur , nec impunetur . Fuere autem ex Catholicis quidam adfirmantes , nihil aliud illud esse , quam Adami peccatum ipsum , a quo omnes posteri praevaricatores denominantur . Quae est singularis Pighii , et Catharini sententia . Nec defuere alii nihil aliud praeter iustitiae originalis priuationem in eo peccato agnoscentes : quod modo etiam recentiores nonnulli adfirmant .

In soluendo insuper nodo intricatissimo , quomodo scilicet originale peccatum sit ex Adamo in posteros deriuatum , fuere olim qui

ad

(22) Vbi supra.

(23) Ex Sermone de Passione.

ad animorum propaginem confugerint ; quorum tamen temerarium consilium ferme omnes Theologi modo quam exuerint , non est cur insanis corundem rationes denuo producamus . Sed pro his alii e Schola sumi sublegati , quibus nouam rationem inire visum est . Inquiunt enim , Adamo , qui vniuersorum hominum caput morale erat , reliquorum fuisse adligatas voluntates a Deo , pactione quadam et conditione , vt scilicet posteri iustitiam , si starebant culpam , si caderer , participarent iure quodam haereditario . Eo videlicet modo , quo dum Magistratum Rectores aliquo sese obstringunt vota , ciues omnes illo vinculo tenentur , etiam qui nascituri sunt .

Atque qui originale peccatum malam et peruersam substantiam esse dicebat , Illiricus , his momentis errorem suum munire satagebat . I : peccatum originis appellatur Gen. vii. in Hebr. Codice ; *figmentum cordis malum* ; ad Rom. vi. *vetus homo* ; Matth. xv. principium efficiens malarum cogitationum , similimumque vitiiorum ; aliis item nomenclaturus exprimitur : at haec omnes sunt notae quedam , quibus veram exprimimus substantiam : est ergo illud huiusmodi .

II : Adam peccando diuinam perdidit similitudinem et imaginem : haec in facultate intelligendi et volendi , ideoque in ipsa animae rationalis substantia sita est : perdidit igitur substantiam priorem .

III : quilibet homo filius diaboli nascitur propter originariam culpam : Diabolus ergo malignam substantiam gignit . Quin licet Diabolus creaturas rationales non possit condere , earum tamen potest substantiam in detinorem commutare ; imo et commutans ex eo constat , quod haec legi Dei modo est disformis , et a priori quam instituit Deus longe diuera .

Pighius autem et Catharinus haec obiliunt . I : Apostolus ad Romanos scribens versus xii. habet : *in quo omnes peccauerunt : rursumque versus xix : per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.*

Il : Augustinus quoque scribit (1) : *peccato offendit Adam tenebunt obnoxii .* Ex quibus illud inferunt quod somniant , nempe , originale peccatum unum idemque esse cum personali Adami delicto .

Sed Theologi Recentiores nonnulli sic varie contra sententiam a nobis stabilitam pugnant . Primo aiunt : si concupiscentia vere et proprie peccatum foret , tolleretur per baptismum ; quem hoc verum , ac proprium peccatum tolli certum sit : at concupiscentia min-

ni-

(1) Lib. tr. de peccat. mer. cap. 6.

nime baptismō tollitur, sed manet etiam in renatis: ergo non est verum ac propriū peccatum.

Deinde: si concupiscentia facta est peccato; neutiquam illa peccatum constituet.

Insuper: licet fieri possit, vt actu prætereunte, reatus maneat, non tamen potest fieri contrarium: nam post immolationem idolis factam animae sceleris admissi reatus inhaeret et macula: sed idolatriac reatus delecto, immolationis sacrilegæ actus haud permanet: idem ergo in concupiscentia eiusque reatus evenit.

Similiter: nequit culpa originalis ex eo constari, quod non vnum idemque in omnibus est, quum sit illa una in illis: sed concupiscentia in uno vehementior ac in alio est: haec igitur originis culpm non constituit.

Postremo: falsum omnino est, concupiscentiae reatum, in quo macula originalis culpæ ponitur, esse priuationem ipsam originalis iustitiae: hinc siquidem duo grauissima sequentur absurdia; nempe, quod non tolleretur per baptismum peccatum, quum nulli integritas originalis restituatur; et quod baptizati iterum originarium per actuale peccatum contraherent; quoniam iterum peccando sanctitatem et iustitiam amittunt.

Iam argumenta tertiae aduersaria producamus. Primum est quod Julianus apud Augustinum (2) obliuiebat; videlicet: si de originem seminali traheretur peccatum; »caro Christi, quia de Maria natus est, cuius Virginis caro, sicut ceterorum omnium ex Adam fuerat propagata, nihil distat a carne peccati.« Ut enim testatur Paullus ad Rom. xii. Christus etiam ex semine Adae secundum carnem genitus est.

Secundum: originis peccatum nec potest traduci per semen, nec vi concupiscentiae: semen enim nec peccatum ex se est, neque in eo peccatum datur: concupiscentia item deficiente, eiusvis vi ac impietu absentibus; nascerentur filii noxa originis inquinati.

Tertium: si peccatum huiusmodi per propagationem seminali traheretur; transiret in nos nedum prima Adami transgressio, sed et quodcumque aliud proximorum parentum peccatum.

Quartum: trahitur peccatum ex Adamo non naturaliter, sed quia ille personam gessit posteriorum: id quod multa suadent. Etenim Leui decimatio non fuit ex natura rei: neque ergo peccatum hu-

ma-

(2) Lib. v. cap. 25.

māni generis in Adam fuit ex natura rei. Deinde: Augustino Doctore (3), parvuli fideles, ac poenitentes dicuntur propter fidem, et poenitentiam gestantum, sicut per Adami præuaticationem peccatores dicuntur: at fides et poenitentia parentum non est ex sua natura fides et poenitentia parvolorum: ergo nec Adami peccatum natura sua posterorum est.

Addunt, vt euincant suum pactum: potuit Deus tamquam supremus Vniuersorum dominus decernere, vt si Adamus stetisset, omnes cum iustitia originali procrearentur; si vero cecidisset, omnes culpam contraherent: potuit etiam in primo homine nostras voluntates, velut in morali torus generis capite, censere: quemadmodum in Principiis id factum nouimus, qui pupillorum voluntates in Tutoris voluntate inclidunt.

Atque hoc pactum Scripturae commendant, quum Gen. xviii. de pueri non circumcisio dicatur; pactum meum irritum fecit: et Oseea vi. vbi legitur: ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum. Non ergo commentarij illud est, sed ab Scripturis ipsis traditum.

Tandem autem, Iansenismi notam haud posse effugere, qui hoc reliquint pactum: quandoquidem Iansenius, vt fertur, illud explicit (4), adpalluitque commentum a Theologis excogitatum, Lutherio (5) et Caluino faciem ferentibus. Haec obiiciunt.

Est tamen vel nullius negotii res omnia diluere: levia enim et infirma adeo sunt. Itaque ad ea quae primo loco Illiricus opponebat iam respondemus. Ad primum argumentum dicimus, metonymice, et propter vitia origines effecta haec omnia dici: et hoc modo Gen. vii. figuramentum cordis accipitur pro cupiditatibus ac desideriis: quod exemplis fere innumeris comprobatur.

Item nouus homo de quo Paullus ad Romanos xii. manifestum est, significare sensus nouitatem, iustitiam, gratiam, Spiritus Sancti renouationem: vnde vetus homo e contrario significat carnis desideria, nequitiam, concupiscentiam, et gratiae atque iustitiae priuationem. Insuper principium a quo inordinate cogitationes proueniunt, voluntas ipsa peruersa est, peruersisque affecta cupiditatibus quae apud Matthaeum cor eadem ratione adpellatur.

Secundo Cyrus occurrit dicens (6): »similis enim, et vitam creature Spiritus indidit, et suos characteres diuinitatis impressis adul-

(3) Lib. i. de peccat. mer. cap. 19.

(4) Lib. i. cap. 6.

(5) Lib. i. Institut. cap. 1.

(6) In cap. i. Euang. Ioann.

„adulterata est illa similitudo Dei incurso peccati , nec iam characteres erant amplius clari , et splendidi , sed subobscuri , ac tenebris involuti .“ Igitur primus homo peccando amisit diuinam imaginem , atque similitudinem quantum ad characteres , et graviarum ornamenta ; neutiquam quantum ad facultatem intelligendi et volendi .

Tertii solutio est , quam S. Augustinus Adimanto Manichaeo reddidit , vbi ait (7) : „tribus modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur ; uno secundum naturam , quomodo Isaac dicitur „Abrahae : alio secundum doctrinam , sicut filios suos adpellat Apostolus , qui ab illo didicerat Euangeliū : tertio secundum imitationem , sicut filios Abrahae nos vocat Apostolus , qui eius fidem imitamus .“ Igitur ex Augustini sententia qui voluntate propria peccant , duobus postremis modis filii diaboli nuncupantur . At , vt verum fateamur , haec responsio non satisfacit quantum spectat ad patulos , et ad originis peccatum ; quum istud non contrahatur imitatione . Addendum ergo ex ipso Augustino (8) : „quod dixi : tribus modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur , minus considerate dictum est ; et alios enim quosdam modos praetermissimus , sicut dicitur filius gehennae , vel filius adoptiuus . Quae vtique nec secundum naturam , nec secundum doctrinam , nec secundum imitationem dicuntur .“ Nascentur itaque homines filii diaboli secundum peccati legem , cui ob primi hominis transgressionem natura adstringitur .

Nec tamen ita res enenit , quod Diabolus rationalis creaturas substantiam in deteriorem commutet , vt Illiricus superaddit ; nam spiritus nequit accidentibus superinductis corrupti nisi fingatur ille ineptissime quidem ad instar coctilis lateris , aut ex lacte coagulatus . Ergo peccati vitio non alia natura illius est , sed tantum misericordia , infirmitati obnoxia , eadem tamen , sibique ipsi contraria , vt infirmus homo sibi ipsi primitus sano contrariatur . Quam oppositionem Scholae priuatianam amant adpellare .

Ad argumenta vero Pighii , et Catharini una hac solutione respondemus . Nimurum , si de causa originalis peccati , prima , vt aiunt , et effectrice , Paulli locum , et Augustini testimonium accipiant illi , hancque malam , peruersamque Adami voluntatem dicant ; nobiscum sentiunt , eorumque propterea opinio vera erit undequa-

que

(7) In lib. adu. hunc Manichaei dis.

(8) In 1. Retract. cap. 25,

cipulum cap. 5

que et catholica , si id tantum adserat , in peccato scilicet originis , quod liber est et voluntarium , sola sit extrinseca denominatio , inheret tamen singulis nondum regeneratis macula peccati : ast nimis confiderent adseuerare illi , peccatum originis in sola imputatione consistere : vnde haeretica a nonnullis , erronea aut suspecta ab aliis Theologis dicitur .

Forum autem quae tertio loco producta sunt , sic primum solvit argumentum . Vt Augustinus saepius docet , in baptismate solvit concupiscentiae reatus , quatenus per gratiam sanctificantem tollitur ab anima habitualis auersio a Deo , in qua sita est formalis peccati ratio , sed remanet actu concupiscentia : nam manet adhuc mala affectio , atque facultatum animae perturbatio ; quae es certe animi languor , et mala valetudo . Hinc si concupiscentiam in reatis non esse vere propriece peccatum quis contendere , non repugnabit . Verum instituta a nobis quaestio est de eadem in nondum regeneratis existente , quos quum reatu detineat , et a Deo segregatos veluti reos innectat , peccatum verum , propriumque dicimus . Augustini verbis utimur , cuius doctrinam ardentissime amplectimur . Ait enim (9) : „in regeneratis concupiscentia vocatur peccatum , non vtique quia peccatum est , sed quia peccato facta est ; sic vocatur , sicut scriptura manus cuiusque dicitur , quod manus eam fecerit .“ Et alio loco (10) : „nam ipsa quidem concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis quando illi ad illicita opera non consentitur , sed modo quodam loquendi peccatum vocatur , quod peccato facta est , et peccatum , si vicerit , facit .“ Quid autem in his Magni Augustini verbis est , quod iure offendit Vasquezius (11) , vt scribere ausus sit : fauere videtur errori corundem , qui adserunt , originale tegi , et non tolli ; radi , sed non eradicari ? Toto coelo distat S. Doctoris sententia ab haeresi huiusmodi , quae fuit Lutheranorum , et Caluinistarum : atque perfectissime illa Tridentino consonat . Ceterum de concupiscentia ante baptismum longe aliter discurrendum est . Connectitur enim illa habituali auersioni a Deo ; vnde culpae et reatu substernitur , peccatumque vere dicitur .

Secundum argumentum , quod est Iuliani (12) , soluit facilissime Tom. II.

Nn

Au-

(9) Lib. 1. contr. duas Epist. Pelag. cap. 15.

(10) In 1. de Nuptiis cap. 23.

(11) Parte Secunda , Disp. cxxxii. cap. 1.

(12) Lib. vi. cap. 8.

Augustinus, dicens (13) : « hoc de sacrificio Idolis oblatio verissime dicitis : actus est enim qui opere ipso peragitur , et non erit , et si iterum fit , alterum fit . Impietas vero ipsa , qua haec fiunt , tandem manet , donec idolis renuncietur , et credatur in Deum . Idolis itaque sacrificatum factum est transiens , non vitium manens . » Nullo modo igitur simile est quod pro simili ponendum putasti . » Nullo modo , inquam , simile est sacrificium transiens manentem concupiscentiae . » Ex Augustino igitur oblatio Idolis facta peccatum actuale est , cuius materialis pars est actus qui praeterit : at originis peccatum habitualis est , cuius materia actus permanens est .

Ad tertium respondeatur , concupiscentiam , quae animae virium perturbatio est , esse in omnibus aequaliter , vt docet S. Thomas (14) tametsi pro diversa subiecti affectione , diuerso etiam modo morus exciterit , sive hoc pacto in uno , quam in alio vehementior . Quod si ea pro motu ipso accipiatu aequalis non est in omnibus : sed motus iste non concupiscentia , sed actus eius est . Vel dicatur : originale peccatum idem in omnibus esse quantum spectat ad maculam , et priuationem sanctitatis ; licet non sit idem , quantum ad illud adinet quod huic priuationi substermitur .

Quod vero ultimo loco obliicebant falsum vndequeaque est . Tollitur enim per baptismum originale peccatum , quia evacuat caro peccati , infunditur habitualis caritas , anima in Deum conuertitur , ac prior iustitia redditur , quantum ad primam , maximisque eius dotem , videlicet sacrificandem gratiam . Nam peccati originalis macula priuatio originalis iustitiae est , quatenus vnitonem animae cum Deo importat , et in cunctis voluntatis conuersionem , non quoad omnia illius dona . Deinde : quum in actuali peccato priuatio iustitiae contrahatur propria voluntate personae peccantis ; ideo eam reatu actualis peccati innecit . Sed in originali peccato contrahitur iustitiae priuatio ob Adamam praevaricationem , quae originaliter tantum nobis voluntaria est .

Modo ad soluendas illas obiectiones , quae ultimo loco sunt positaes , accedamus . Et ad primam quod adinet , vere possumus dicere , ea magis sententiam nostram firmari . Nam ideo Christus carnem peccati non habuit , sed dumtaxat carnis peccati similitudinem , quoniam absque virili senine et carnali concupiscentia de purissima

Vir-

(13) Ibidem.

(14) Prima Secundae , quaest. lxxxii.

Virgine homo processit . » Et hinc adparet , ait Augustinus (15) , « illam concupiscentiam , per quam Christus concepi noluit , fecisse in genere humano propaginem mali , quia Mariae corpus , quandovis inde venerit , tamen eam non traeicit in corpus , quod non inde concepit . » Et alio in loco (16) : » qui licet sit etiam ipse secundum carnem semen Abrahac , eo quod Virgo Maria , de qua carnem sumvit , ex ipso semine propagata est , non tamen est omninoxius eidem semini , qui virili non est conceptus ex semine , libenter a nexus seminatricis concupiscentiae . »

Obiectio secunda ex dictis abunde diluta est . Supra enim consti- tuimus , originalem maculam etenim per semen trahi , quatenus per illud caro peccati propagatur , cui unita anima coinquinatur . Et de concupiscentia , qua peccatum traduci diximus , et hoc adfirmatum est , eam scilicet esse virium perturbationem , malamque affectionem , vnam quidem in omnibus , non vero esse motum , vel actum . Hanc autem sic expressam non futuram in statu innocentiae agnoscamus , nisi ad imperium nutumque rationis , Augustino saepius docente .

Tertia obiectio est etiam solutionis facillima . Illud ergo verum est , primam videlicet Adami transgressionem maculac originariae fuisse causam ; sed falsum omnino , eam ex Adamo in nos pertransire : etenim originale peccatum non est ipsum peccatum nobis imputatum , sed singulis proprium est . Verum neque ad transgressionem illam primam pertinent quoquo modo peccata alia , vel protoparentis , vel proximorum parentum . Itaque primum Adae peccatum communem naturam inficit : haec natura vitata ac deformis propagatione in nos transfusa est : cetera peccata quaecumque vitium hoc in natura inuenerunt . Quae tamen naturam iam iam ad omnem malum pronam , reddunt certe procliuorem .

Quartae hoc habeo responsum . Naturalis est culpa originaria , quatenus vi propagationis naturae vitiate transfusa , non vi aliquius conuentionis , et pacti . At natura culpam hanc non instituit , quemadmodum delirarunt Manichaei . Quam solutionem ea insuper confirmant quae de Leui decimatione dicuntur . Nam decimatus est Leui per originem seminalem , vt Augustinus docet (17) ; non vero ratione aliquius pacti . Igitur et nos pariter in Adami lumbis fuimus per seminalem originem , et peccauimus originaliter .

(15) Lib. contr. Iul. v. cap. 15.

(16) Lib. ii. de peccat. mer. cap. 25.

(17) Lib. iv. Oper. Imperf. cap. 103.

Augustinus autem vbi ea scribit, quae secundo loco sunt laudata non omnimodam aequitarantiam intendit. Ille ergo vult, quod sicut gratia confertur etiam parvulis nondum credentibus voluntate propria ope Sacramenti a Christo instituti; sic et originalis culpa a parvulis nondum voluntate propria peccantibus per carnis vitium contrahitur. Sed est dissimilitudo in eo, quod in baptismatis Sacramento generatio spiritualis est, vi quidem Sacramenti, quod gratiam ex Christi institutione confert; et in hominis procreatione trahitur peccatum per vitium carnis, quae naturali generatione transfunditur. Ipse Augustinus sui interpres nitidissimus est, vbi scribit (18): «sic cut eos vita Spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generauit peccatores; illa enim carnalis generatio est, haec spiritualis.» Et alio loco qui obicitur: «totum hoc, inquit, de regeneratione Spiritus, in spe fit vi Sacramenti, et diuinae gratiae, quam donum donauit Ecclesiae.»

Vtima vero obiectio infirma nimis est. Non enim hic querimus quid supremus rerum Dominus possit facere, sed quid reapse factum sit. Decreuit ergo Deus sic hominem creare, vt eo peccante, peccarent omnes; eo stante, omnes starent. Lex insuper ei lata nos omnes obstringit. Vtro haec fatemur. Verum id adsequi nullatenus possumus, potuisse Deum in primi hominis voluntate meam voluntatem, quae ideo mea est quia omnimode intrinseca mihi, includere. Nec inde omnipotentiae decetrum in Deo ponimus, sed rerum ipsarum agnoscimus, et fatemur repugnantiam. Ac exemplum illud quidem, quod adlatum est, hoc unum ex Tridentinorum Patrum sententia evincit, nempe, transfundit in Adami posteros poenam, non culpam: iure autem meritoque. Siquidem nequit Magistratus transferre pupillorum voluntatem in voluntatem Tutoris, nisi in ordine ad bonorum permutationem, et alienationem, aliaque his similia; minime in ordine ad peccandum, adeo vt pectet pupillus peccante Tute.

Quid autem ex Scripturis aduersari depromunt? Quod inibi praeunicatus Adamus pactum legitur, Dei lex est, non arbitratia aliqua conuentio: omne enim Dei praeceptum pactum in Scripturis dicitur, vt legimus in capite xxvi. Leuitici. Quoniam ergo legem Adamus transgressus est, pactum praevaricatus est.

De cetero nihil moramur odioso nos Iansenistarum nomine ab aduersarii vocari; quemadmodum in fine huius obiectonis, simulata-

(18) Lib. iii. de peccat. merit. cap. 2.

late licet, adpellant. Si enim haeretici nos ob adsertam doctrinam dicimus, et dicendi erunt huiusmodi Theologiae ipsius Magistri, ac de re Theologica quæsquares optime meriti. Etenim originale peccatum per seminalem originem, et concupiscentiae vehiculo traduci, scribit Augustinus, scribit Magister, scribit S. Thomas, et ab his edicti scribunt primi ordinis, et subsellii Theologi: pactum vero quodcumque pernegant etiam reliquantque Tridentini Theologi, aliqui plurimi, quorum orthodoxiam nefas esset in examen vocare. Sed permostea haec nobis sunt, et iniucunda nimis.

## CAPVT XXI.

*Augustini sententia de sensibilibus infantium absque baptismo mortuentium poenis defenditur. Sancti Thomae mens et scribendi ratio declarantur.*

Pueros cum originali peccato decedentes et dolore aliquo, et aliqua sensu poena vere affici rectissime Augustinus docuit.

Ad assertione istam consulo adsumimus probandam ob calumnias, censurasque Osorum in tanti Magistri sententiam; vt nempe, dum Doctorem hunc maximum aduersus Pelagianos disputantem controversiae fines non excessisse declaramus; summam corundem iniuriam ob oculos ponamus. Ergo Augustinus, vt id quod probandum adsumserat aduersus Pelagianos, videlicet, pueros originali peccato detineri, euinceret, ac haereticorum effugia praeluderet omnia; passim, et vbiique doctrinam suam tradidit, pueros non ablutos in inferis detineri, condemnari, atque aeternis ignibus cum Diabolo torqueri, et cruciari. Pauca ex innumeris adducamus. Scribit enim (1) ad Julianum: «tu autem qui eam» (parvull scilicet naturam) «negas a Diabolo possideri, proculdubio negas, a potestate erui tenebrarum. . . . Si autem non eruit a potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid miraris in igne aeterno cum Diabolo futurum qui in Dei Regnum intrare non sinitur?» Et de baptismo parvolorum (2), vbi Christi Domini terrarum orbem iudican-

tis

(1) Lib. iii. vlt operis cap. 199.

(2) Serm. xciv. cap. 3.

tis recolens sententiam , paruos in extremo iudicio ad dexteram , vel sinistram constituendos obseruat ; et vel in Christi Regnum , vel in aeternum ignem recipiendos . »Venturus Dominus , ait , et iudicatur de viuis et mortuis , sicut Euangelium loquitur , duas partes facrurus est , dexteram et sinistram . Sinistris dicitur : *ite in ignem aeternum qui paratus est Diabolo et Angelis eius . Dextris dicitur : venite benedicti Patris mei , percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi .* Hanc regnum nominat , hanc cum Diabolo damnationem . Nullus relictus est medius locus , vbi ponere queas infantes . De viuis et mortuis iudicabitur : alii erunt ad dexteram , alii ad sinistram : non noui aliud . Qui inducis mediun , recede de medio ; non te offendat qui dexteram quererit . »Et te ipsum admoneo ; recede de medio , sed noli in sinistram . . . . »Qui non in dextra , proculdubio in sinistra : ergo qui non in regno , proculdubio in igne aeterno . »Inculcat eadem saepius (3) . At poenam istam mittissimam dicit , potissimum si cum ea comparetur , qua nequissimi peccatores puniuntur . Ita siquidem contra Iulianum scribit (4) : »ego autem non dico paruos sine Christi baptisme morientes , tanta poena esse plectendos , vt eis non nasci potius expediat : cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus , sed de scelerissimis et impissimis dixerit . Si enim quod de Sodomis ait , et utique non de solis intelligi voluit , alias alio tolerabilius in die iudicii punietur ; quis dubitauerit , paruos non baptizatos , qui solum habent originale peccatum , nec vilis propria aggrauantur , in damnatione omnium leuissima futuros ? » Haec Augustini mens est , haec sententia . Quid autem in iis non dictum rectissime ? Quid cum Scripturis , Romanis Pontificibus , Conciliis , ac Patribus non consentaneum legitur ? Etenim Sacrae litterae Matth . iii . vniuersale iudicium describentes aiunt : »cuius ventilabrum in manu sua : et permundabit aream suam , et congregabit triticum suum in horreum , paleas autem comburet igne inextinguibili . » Et cap . xiii : »colligite primum zizania , et alligate ea in fasciculos ad comburendum , triticum autem congregate in horreum meum . » Item cap . xxv : »congregabuntur ante eum omnes gentes , et separabit eos ab inuicem , sicut Pastor segregat oves ab hoedis : et statuet oves quidem a dextris suis , hoedos autem a sinistris . »

De-

(3) Lib . v . Oper . Imperf . cap . 6 . Et lib . 1 . de Nupt . et concup . capp .

23 . et 24 .

(4) In v . contr . Iulian .

Demum Apocalypsis xx. legitur : »et qui non est inuentus in libro vitae scriptus , missus est in stagnum ignis .«

Insuper e Pontificibus Romanis Gelasius I. senem quandam Pelagianum vrgens scribit (5) : »de Paruulis autem quod adserit si ne sacro Baptismate pro solo originali peccato non posse damnari , satis impia , satis prophana propositio est .« Et post pauca : »nihil es ergo quod dicant , quod non renati infantes tantummodo in Regnum Coelorum ire non valeant ; non autem perpetua damnatione puniantur , dum sine Baptismo Corpus et Sanguinem Christi nec edere valeant , nec portare ; sine autem hoc vitam in se metipsis habere non possint ; sine vita vero non nisi mortui sint futuri . Dicuntur igitur in morte perpetua constituti , si non aestimentur esse damnati . Tollant ergo de medio nescio quem ipsi territum , quem decipiendis paruulis faciunt locum . Et quia non nisi dexteram partem legimus et sinistram , illos facient in sinistra regione sine baptismō remanere ; sed baptizatos sinant ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri .«

Episcopi deinde Africani Carthagine contra Pelagianos congregati initio anni 418. hunc canonem ediderunt (6) : »item placuit , vt si quis dicit , ideo dixisse Dominum ; in domo Patris mei mansiones multae sunt , vt intelligatur , quia in Regno Coelorum erit aliquis medius , aut vilis alieibi locus vbi beate viventi Paruuli , qui sine Baptismo ex hac vita migrarunt , sine quo in Regnum Coelorum , quod est vita aeterna , intrare non possunt , anathema sit . Subiuxeruntque , vt omne effugium Scholasticis praeculerent : nam cum Dominus dicat , nisi quis renatus fuerit ex aqua , et Spiritu Sancto , non intrabit in Regnum Coelorum , quis Catholicus dubitet , participem fore Diaboli , qui cohaeres esse non meruerit Christi ? Qui enim dextra caret , sinistram proculdubio partem incurrit .«

Practerea Patres pro hac sententia pugnant . Agmen dicit gravissimus peraque ac veruissimus auctor Hypognosticon , id est , Subnotationum , scribens (7) : »da mihi praeter hunc (Regnum scilicet Coelorum) alterum locum , vbi vitae possit requies esse permanentis . Primum enim locum fides Catholicorum diuina auctoritate regnum credit esse Coelorum ; vnde , vt dixi , non baptizatus ex-

» ci-

(5) Epist . vii . ad Episcop . per Pie- num .

(6) Apud Labb . tom . iii . pag . 528 .

(7) Lib . v . cap . 5 .

"cipitur: secundum gehennam, vbi omnis apostata, vel a Christi fide alienus aeterna supplicia experietur: tertium penitus ignoramus immo nec esse in Scripturis Sanctis inueniemus. Finge, Pelagiane, locum ex officina peruersi dogmatis tui, vbi alieni a Christi gratia vitam requiei et gloriae possidere paruuli possint. Dextera est iusti sedentis Iudicis, et sinistra: Regnum est, et gehenna: vita est, et mors; iusti sunt, et iniqui. In dextera igitur iusti sunt constituti, in sinistra operarii iniquitatis; in regno requies Baptizatorum, in gehenna poena incredulorum; vita ad laetitiam gloriae, mors ad flagrum et stridorem dentium. Iusti in Regno Patris cum Christo, inquit in igne aeterno parato Diabolo et Angelis eius: .... qui Baptizatus ergo non est, in his, quae sunt Regni Coelorum non potest reperi: et si non ibi, quia vere non ibi, putasne, Pelagiene, iam sentis vbi? Aut certe dic vbi."

Sancrus Fulgentius haec habet (8): "firmissime tene, et nullatenus dubita, non solum homines iam ratione videntes, verum etiam paruulos, qui sive in uestris marrum viuere incipiunt et ibi moriuntur, sive iam de matribus natu sine Sacramento Baptismatis sancti, quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos."

Item Hieronymus, qui cum Pelagio in Palaestina certauit, infantis originaria labe coinqutinatis, ait (9), aeternae miseriae cruciatus praeparari.

Hieronymo manus dat Gregorius Magnus, qui verba illa Iobi exponens: multiplicabit vulnera mea etiam sine caussa, inquit (10): "quos, (videlicet paruulos) quia a culpa originis Sacraenta non liberant; et hic ex proprio nihil egerunt, et illuc ad tormenta perueniunt. Quibus vnum vulnus est corruptibiliter nasci; aliud carinaliter emori. Sed quia post mortem quoque aeterna mors sequitur, occulto eis, iusto iudicio etiam sine caussa (personalis) vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt et qui nihil ex propria voluntate peccarunt."

Etiam Augustini dogma tenuit Isidorus Hispalensis Antistes, vbi haec habet (11): illud tamen tenendum est, Paruolorum animas nexus peccati originis esse adstrictas; quae nisi percipient Bapt-

"ma-

(8) Lib. de Fide ad Petrum cap. 27.

(9) Dialogo iii. contr. Pelagium.

(10) Lib. ix. cap. 21.

(11) Lib. i. Differentiar. Differ. 26.

"matis Sacramentum, Regni Coelestis participes esse non possunt, sed cum carne et communie habebunt peccatum, et pari iudicio damnabuntur in ignem aeternum. (12) Et alio in loco (13): "pro solo, inquit, originali reatu luunt in inferno nuper nati infantil poenas, si renouati per lauacrum non fuerint. Proinde Adae causa nuper natus infans, si non regeneratur, damnatur; quia originis noctiætate perimitur."

Sequitur Prudentius Episcopus Tricassinus. Is de Praedestinatio loquens, ait (13): "punitio bifariam diuiditur; et nunc in absolutione animae a suo corpore, comparata huius primae preeparationis merito, quod ab ipsa radice in omne posteritatis eius genus transfussum atque innatum est; et postmodum in gehenna, quae tan huius, quam aliorum multiplicitate criminum libidinosæ peruersitate contractorum adquisita est."

Anselmus tandem Episcopus Cantuariensis, ut alios prætereamus, sic scribit (14): "quoniam nemo dubitet, quia par poena non sequitur imparia peccata; in hoc tamen similis et personalis, et originalis peccati damnatio; quia nullus admittitur ad Regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine quo non redditur, quod pro Adae peccato debetur, quanvis non omnes patritez in inferno torqueri mereantur. Nam post diem iudicii nullus erit Angelus aut homo, nisi aut in Regno Dei, aut in inferno."

Quibus Parrum dictis arque sententiis innixa Florentina Synodus sic in fidei definitione habet: "illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas (15)." Sententia igitur Augustini Scripturis, Conciliis, et Patribus consona undeaque est.

At desiderandum foret S. Thomae suffragium tamquam fidissimi Magni Augustini interpretis. Hunc tamen in contrarium iuisse sententiam, quae illius aetate communior in Scholis habebatur, certo certius cuique erit, si ad ea quae in II. Sententiarum (16) tradidit oculos ac animum verrat. Nam et pueros ibi a sensuum poena absoluit, et ab omni dolore, tristitia, moeroreque in altera vita liberat. Quid tamen? Sparsit ille ubique Augustini doctrinae semi-

Tom. II.  
Oo

na;

(12) Lib. i. Sentent. de Bapt. et Commu. cap. 24.

orig. cap. 22.  
(13) Sess. vicesima.

(13) Cap. 16.

(16) Distinct. xxxiii. quaest. 2.

(14) Lib. de Concept. Virg. et pete.

na; potissimum in IV. Sententiarum scribens (17) : «peccato originali non tantum deberit parentiam visionis pro poena, sed etiam subiecti anihilationem.» Ex quo peractus Thomista Godoy, et in Praedicatorum Ordinem adlectus, probat (18), originali peccato obnoxio fuisse etiam sensus poena multandos, ut apposite notat Bertius (19). Etenim subiecti anihilatio grauissima omnium poena est. Opinatur praeterea Silvius (20), S. Thomam loquutum iuxta opinionem suo tempore communem; verum non deesse existimandi rationem, Angelicum Doctorem in partem alteram declinaturum, si suam Theologicam Summam absoluisset. Haber enim ille pro absurdo, ut in libris contra Gentes adserit (21), «quod aliqui homines sint, qui nec Beatitudinem consequantur, nec poenam patiuntur a Deo; cuius contrarium ostenditur ex eo quod dicitur Matth. xxv: «quod omnibus in diuino iudicio existentibus dicetur: venite poscidete paratum vobis regnum; vel discedite in ignem aeternum.» Quod tamen absurdum in parvulis non ablatis absdubio continget, si ignis aeterni poena nequaquam adficerentur; quoniam et hi Regnum aeternum nequaquam possessuri sint. Hoc pacto laudati Sylvi opinionem, seu potius observationem Bertius intelligit ac recenset: ex ea vero colligit Hyacinthus Serrius Ordinis Praedicatorum, Doctorem summum nedum priorem sententiam retractaturum, sed re ipsa illam retractasse. Sic ille loquitur (22): «evidem negari omnimo nequit in eam sententiam Doctorem summum inclinasse, quae illius aetate communior habebatur in Scholis; verum eam, qualiscumque tandem fuerit, retractauit ac renouavit, velut absurdum.» Ipsis igitur S. Thome egregiis discipulis, arque sodalibus adtestantibus, haud ille Augustino contrariatur. Sed haec in transcurso, ut dicitur, summisque digitis tetigisse sufficit.

## CAPVT XXII.

Pelagianorum haeresi, aliorum etiam sententiis relatis, quae in contrarium stare videntur momenta adducuntur,  
ac eneruantur.

Pelagianos in eo detentos errore fuisse, ut crederent, pueros baptis-

ma-

(17) Distinct. xlvi. quest. 2.

art. 6.

(18) Disp. xxxvii. de pecc. §. 3.

(21) Lib. iii. cap. 159.

(19) Lib. xiii. cap. 9.

(22) Disput. iii. de nac. lapsa, Prae-

(20) In Prima Secundae, q. LXXXVI.

lect. 40. tom. 1.

mate non regeneratos ante rationis usum morientes, quantumuis a Coelorum regno manerent exclusi, feliciter tamen quadam, arque perenni vita frui, Augustinus ipse testis est locupletissimus (1). Naturalem vero (nescio quam) beatitudinem, et super terram insuper commorationem eisdem attribuunt Catharinus, Pighius, et Cardinals Sondratus. In quo certe quid simile, imo unum idemque cum Pelagianis eos sensisse, iudicant Estius (2), Petavius (3), L' Hermier (4), et Augustinienses Theologi ferme omnes. Iure autem, an iniuria ita iudicent penes alios iudicium esto. Unum nos hic ratum, fixumque habemus, videlicet, a communia receptaque Theologorum sententia recedere, ut singularem opinionem in medium producant. Itaque consentiunt uno ore Catholici, puniri pueros illos exclusione regni Coelorum, quod supplicii genus audit *poena damni*. Discordant autem in eo, quod aliquibus poena illa talis videtur, ut nullum animi dolorem secum ferat; aliis contra opinantibus, ut fuisse supra loquuti sumus.

Atque qui primum opinantur Theologi, his ducuntur fundamentis. I: nullo ignis supplicio pueros illos plecti Scripturae firmissima auctoritas suadet. Etenim dicitur in it, ad Corinthios Epist. cap. v. «Omnis . . . nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referrat vnuquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.» Et Apocalypsis xviii. habetur: «quantum glorificauit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum.» Item lobii verba, quibus rationem reddit, cur peroptet in vtero matris perisse, vel statim ac natus est, haec cap. iii. leguntur: «nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem.» Parvuli ergo illi, qui ante rationis usum decadunt, nullo supplicio sensibili plectuntur.

II: Augustinus ipse, cuius auctoritas in hac potissimum quaestione, summa est, haec scribit (5): «non enim metundum est, ne vita esse potuerit media quedam inter recte factum arque peccatum, et sentientia iudicis media esse non possit inter praemium et atque supplicium.» Quibus sane verbis de parvulis loquitur. Deinde ait (6): «hacc illis sola poena est non esse in patria.» Rursum, nedum adserit (7) parvulos futuros in damnatione mitissima, sed

Oo 2

et

(1) Haer. lxxxviii. Et lib. de orig. (7) In iii. de lib. arb. cap. 15.

2n. cap. 12. aliosq. in locis. (6) Serm. x.v. de verbis Apostoli

(2) In Distinc. xxxv. §. vii. cap. 6.

(3) Lib. ix. cap. 11. (7) Contr. Julian. cap. 21.

(4) Tom. vi. Concl. ii.

et negat, tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret.

III: Ambrosius, Nazianzenus, Bernardus, aliique ex Patribus pro hac stetere sententia. De paruulis enim istis sic Ambrosius loquitur (8): „habeant tamen illam expertam poenarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem.“ Nazianzenus autem ait de eisdem (9): „nec coelesti gloria, nec supplicii a iusto iudice afficiuntur, vt pote qui licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam passi potius fuerint, quam fecerint.“ Tandem Bernardus habet (10): „cesset voluntas propria, et infernus non erit.“

IV: Decretalium auctoritas tit. xiii. de Baptismo cap. iii. *Maiores* id ipsum firmat. Ait siquidem Innocentius IV: „Poena originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis vero poena peccati est gehennae perpetuus cruciatus.“

V: Argumenta e ratione petita idem suadent. Nam primo, sensibilis poena non est originali peccato proportionata, quoniam illud non contrahitur per actum propriei voluntatis. Deinde: quum originis peccatum non personae, sed naturae vitum sit; haud debet eius causa persona plecti. Similiter: nulla ob peccatum originis inungitur poenitentia: non igitur correspondet poena.

Rursum: quae ex hac Augustini sententia non sequentur incommoda? Quum enim paruuli gratia destituti, nequeant gehennae poenam patienter ferre, in cruciatibus absdubio in impatientiam prorumpent, ac Deum blasphemabunt. Sed et plura scandala patere inter ruidores, et matrum animum perturbare illa opinio nata est. Alia similia obiciunt.

Verum singulis facillime occurri valet. Ad ea primum quae ex Scripturis ducunt, dicimus: Iulianum haereticum fuisse, qui simili argumentationis genere vrebatur apud Augustinum (11). Quod tamen sic aduersum dialecticum versutissimum ipse Augustinus interrogat. Paruuli baptizati bona corporis reportant de opere non suo recte factis: possunt ergo et illi reportare malum de alieno peccato. Deinde potest dici, quae in prioribus Scripturae testimoniis dicta sunt, minime alia peccata excludere. Itaque quanuis verissimum illud sit, mundi scilicet illecebris, obscoenisque voluptatibus sensuum afflictio nem,

(8) Lib. II. de Abraham cap. viii.  
(9) Orat. XL.

(10) Serm. III. de Resurrect.  
(11) Lib. VI. cap. 10.

nem, suppliciumque ignis deberi, arque cum qui misericordiam non fecit, sine misericordia iudicandum esse; non inde tamen licet colligere, horum unice sclerorum damnatos poenas datus: alioquin haeresis, ambitio, ceteraque id genus peccata absque carnali oblecramento patrata, aeternis cruciatibus haud forent punienda. Quin et qui pauperem alit, erogatque stipem, volutatur tamen in coeno libidinum, Dei regnum possideret. Vnum ergo peccati genus in eiusmodi Scripturarum locis positum pro reliquis est.

Iobus autem, puerorum immaturam mortem eo tantum sensu dormitionem, et quietem adpellat, quod a doloribus, et saeculi miseris immunes illi sunt; non quod ex hac decadentes vita, peccato obnoxii, aeterna felicitate potiantur. Atque Magnus Gregorius in Moralibus (12) tradit, Iobi verba non esse litteraliter accipienda.

Quae vero Augustini testimonia secundo loco adducunt, contorta illa indicamus, frustra etiam limpidissimis eiusdem S. Doctoris testimonii opponi. Constat enim ex his quae superiore capite produccebamus, Augustinum paruulorum damnationem mitissimam adpellare comparare ad adultos, atque sententiam illam ipsius Christi, *meius erat si nati non fuissent*, non esse de illis accipendam; in omnibus enim omnia peccatoribus, qui igne aeterno cremantur, sed tantum de scelestissimis pronuntiatam esse, vt et poenarum, et criminum inaequalitas inde ostendatur.

Quae autem verba in Sermone de Apostoli verbis protulit illationem praesenserunt dogmatum catholicorum ex his quae Pelagiani vel inuiti concedebant. Eos siquidem fatentes, reuera parulos a Coelorum regno excludi, sed tamen aliqua frui tranquillitate, sic Augustinus oppugnat: „quam ergo pro paruulis beatitudinem, ac quietem fingitis, quos a coelesti patri exulare dicitis, maximo sane supplicii genere?“ Atque dum in Ioannem scribens, plectendos ignis supplicio *quosdam sinistros* vocat, relate ad omnes gentes, universaque iudicandorum turbam ita vocat.

Dificilius illud est, quod ex libris de libero arbitrio sumitur; sed tamen est expedientum. Cum Manichaeis res tota Augustino est. Renuentibus enim his fatari originis peccatum voluntaria Adami praevaricatione transfusum; nouum tamen testamentum admittentibus, et ab Herode necatos infantes cum Martyribus ab Ecclesia venerari scientibus, de pueris, qui doloribus ac morte flagellantur, ait: *et quis*

(12) Lib. IV. cap. 3.

ergo nouit quid ipsis paruulis in secreto iudiciorum suorum bonae compensationis reseruerit Deus? Explodens hoc pacto vnam Manichaeorum instantiam, quod temporales afflictiones non erunt poena peccati, sed meritum retributionis occultae, si in eisdem nullum peccatum est. Pergit deinde hac ipsa ratione diluere quod de paruolorum iudicio illi obiciabant; videlicet, quod nullus inter malos eis locus sit futurus, quoniam nihil peccarunt; nullus item inter iustos, quia nihil rectum fecerunt; interrogans, igitur poterit horum paruolorum vita inter peccatum et recte factum esse media? Ergo et iudicis sententia media quoque inter praemium et supplicium erit. Nulla ergo in eis substantia deprehenditur mala, sive temporalia cruciamenta adtendantur, sive eorum iudicium consideretur: quod per errorem illi contendebant. Iam vero ex responsione Augustini nihil Manichaeorum falso dogmati accedere fauoris, atque auctoritatis qui negauerit, in meridie ipsum caecutire necesse est. Neque enim inde sequitur, Augustinum vnumquam adseruisse, paruulos morte non plectri propter Adami peccatum; aut paruolorum vitam medium esse inter peccatum, et recte factum; aut futurum in iudicio paruolorum locum iustos inter et malos. Nec tandem ergo sequitur, iudicis sententiam medium esse posse praemium inter et supplicium: quod sequeretur dumtaxat si paruuli nullum peccatum contraherent.

Alias responsiones adducit Bertius, quum ex observationibus Cardinalis Norisii, tum ex aliorum Theologorum sententia (13). Ipsi sum consulat cui otio abiun liceat.

In tertii argumenti solutionem multa occurrunt dicenda: malum tamen pauca seligere. Ac in Ambrosii laudato loco capituli ultimi librorum quos de Abraham instituit, intrusa ab homine haeretico fuisse nonnulla, Patres Benedictini opinantur (14). Nec sine fundamento ita opinantur: alias Ambrosius sibimet contrarius foret: dixerat siquidem superius, paruulos non baptizatos a regno exclusi. Verum hoc insuper responsum damus: Ambrosius ibi et de adulatis, et de paruulis sermonem habere, ut lavacri sancti necessitatem promiscue probet: hinc per figuram concessionis eum loqui intelligimus; propreterea scribere *habent*, non vero *habent*. Bernardum autem non paruulos, sed adultos fuisse alloquutum, apertius est his qui sermonem laudatum legunt, quam vt nostram in suadendo diligentiam desiderent vel laborem.

Quod

(13) Lib. xiii. cap. 9.

(14) Tom. I.

Quod vero Gregorii Nazianzeni locum spectat, premit ille aequaliter Theologos illos qui censem, pueros damni poenam sentire: unde et ab eisdem solui desiderat. Nos sic illum exponimus: quod si-  
cet dum in eo dicitur: *carere improbitate, et iacturam potius pa-  
ti, quam facere*, de neglectu baptismatis sermo est; ita dum addi-  
tur: *nec coelesti gloria, nec supplicio illos adfici*, accipendum de  
punitione huic neglectu ac despiciencia correspondente, et propter  
quam adulti baptismatis contemtores multo maiori supplicio absolu-  
bio plectentur.

Placet tamen huic responsioni superaddere, scripta haec a Nazianzeno fuisse ante exorta dogmata Pelagiana; quando nempe Patres hanc controuersiam haud agitabant: postea vero et Patres, et Concilia locum illum medium gloriam inter et supplicium vnanimiter im-  
pugnarunt, atque penitus exploserunt.

Decretalium auctoritas, quae quarto loco obiecta est, non est cur nos ab opinione praeconcepta moueat. Pontifex enim definiens, ob peccatum actuale puniri damnatos et igne gehennae, et priuatione visionis Dei, non idcirco statuit non posse similiter plecti et carentia visionis, et gehennae cruciatibus propter peccatum originis: neque enim legitur in Decreto particula *tantum* aut alia quaevis ex-  
clusionem importans.

Accedit, quod Pontifex ibidem declarat, pueros ante rationis vsum baptizandos esse, quia *„originale quod sine consensu contra-  
dictatur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti: actuale vero  
„quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur.“* Ob-  
ligienti autem, cut non baptizentur pariter et amentes, et dormientes, vi in eis quoque per baptismum originales deleurat delictum,  
actuali remanente, primo Innocentius respondet, *„quod Dominus,  
„qui totum hominem sanum fecit in Sabbato, opus imperfectionis  
„non nouit; et ob hoc peccata, non ex parte, sed ex toto dimittit.“*  
Additque: *„quod poena originalis peccati est carentia visionis Dei;  
„actualis vero poena peccati est gehennae perpetuus cruciatus: vn-  
de si dimitteretur alicui, primum altero non dimisso, talis non ca-  
ret visione Dei propter originale dimissum, et cruciaretur in ge-  
henna propter reatum criminis actualis: sed haec tamquam incom-  
possibilitas minime patiuntur, imo sibi mutuo aduersantur.“* Quam  
additionem ab imperito Secretario factam eruditii norunt, et nos edo-  
cent:

cent: utraque enim poena puniri adulsum qui peccato actuali obnoxius decedit, originali licet dimisso, constans est.

Sed illud hic addendum, in Decretorum Codice Dist. iv. de Consecrat. cap. iii. definiri, originale peccatum puniri *ignis aeterni semipaterno suppicio*. Quod quidem Decretum, velut perspicuum adeo expressumque, Innocentiano illi, anticipi valde et ambiguo, praefereendum iudicamus.

Rationes modo in loco posteriore congestas diluamis. Prima quidem sic in obicients intorquetur: licet parvuli noxam originalem actu propriae voluntatis non contrahant, eorum nihilominus voluntas a summo bono, quod appetit, cum poena ac tristitia diuellitur: igitur poterit quoque illorum sensus ignis poenam experiri, licet proprio sensu non deliquerint. Deinde responderet: cuicunque peccato, actuali videlicet, et originali, quum Deo summo bono displaceat, debetur, si Deus velit, omnis poena, etiam *infinite acerba*, si posset dari, vt loquitur D. Thomas (15). Tandem, omnis poena quae actuali primi homini peccato debetur, originali ceterorum peccato infligi posse ex ea ostenditur, quod peccatum in Adamo actuali, posteris est originale: imo qui haec obiectant Theologi existimant, originale peccatum esse omnibus propriam, quoniam omnium voluntates in Adam censembarunt. Quod si hoc sufficit ut parvuli propria voluntate peccauerint, et non sufficiet etiam ut in proprio sensu tormenta patiantur?

Ratio etiam secunda in obicients intorquetur. Quod originis peccatum naturae vitium sit, non personae, non euincit quin haec persona sit peccatrix, debeatque ad tartara damnari; ergo nec efficit ut haec persona gehennae poenam non sentiat. Est itaque originale peccatum naturae vitium, non personae; hoc scilicet pacto, quod induxit illud sit Protoparentis voluntate, qui communem naturam vitauit; non, quod propagatum per Adami voluntatem, non sit vere proprie omnium posteriorum culpa.

Tertia ratio falsa omnino est: falsum siquidem est omnino, Adae posteros ipsius peccati non agere poenitentiam. Nonne enim mors, huiusque vitae calamitates omnes in poenam originariae noxae sunt? Nonne et admonet Catechumenus, priusquam baptismatis iauacro regeneretur, se esse Dei inimicum, ac sub potestate doemonis esse? Parvuli quoque nonne poenitentes suo modo sunt, *quam per ver-*

(15) In II. Dist. xxxii. quæst. 1. art. 5. ad 2.

*verba gestantium, Diabolo et huic saeculo renunciare monstrantur*, vt Augustinus ait (16)?

Vltima ratio sic soluitur: fatendum principio, parvulos ob originale peccatum voluntatem a Deo auersam habere; nec posse gehennæ poenam ferre patienter; ast neganda illatio inde ducta: non enim sequitur, quod debeant mox in Dei odium ac blasphemias prorumpere, et eandem cum peccatoribus scelestissimis malitiis habere, ac ab eadem in omne scelus abipi; nisi Bui haereticum commentum quis velit reproducere (17). Quid quod, si ex quo moleste pueruli sensus poenam sustineant, illico eos blasphemare dicendum; quum agre etiam, et moleste damni poenam sustineant, blasphemos eos dicere ob hanc quoque aduersari coguntur.

Scandalum autem ex hac opinione sequutum, quod oblectant, non videmus. E contrario sentimus, ex huiusc Augustini assertio- nis diuulgatione plurima bona et commoda haurienda. Neque enim adeo audacter rustici praegnantes vxores caederent; neque tam frequenter compressae puellæ abortus curarent, vel similia tentarent. Haberetur insuper plenior culpa originis, eiusque demeriti notitia; et ex ea, quam ferum acerbumque sit actualium criminum suppli- cium plenius dignosceretur. Sed finem his constituamus.

## LIBER IV.

*Qui diuinam ordinationem, electionemque hominis in finem considerat.*

### CAPVT I.

*Deus particulari prouidentia aliquos ad gloriam eligere demonstrat:*  
*Solos item sic electos consequi salutem.*

Datur in Deo aliqua electorum ad gloriam pradestina-  
tio: atque hi soli salutem aeternam consequuntur.

**L**oquitur propositio de prouidentia illa Dei speciali, generalem  
Tom. II. Pp. Dei

(16) In I. de peccat. merit. cap. 19. (17) Proposit. 48. et 49.